



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

IX. Solutio cæterorum argumentorum aduersus veriolem sententiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

si ignis esset præcisè impossibilis, non verò si esset possibilis simul, & impossibilis. Nam hinc fiet, saltem cum connecti cum hoc, quod repugnet, ignem esse simul possibilem, & impossibilem: ergo connectetur essentialiter cum aliqua repugnantia à se distincta: & tamen non dependebit propterea ab illa: quanquam ergo connectatur cum possibilitate creaturarum à se distincta, non ob id ab ea dependebit: & sic præcipuum nostra sententia fundamentum corruet, nullumque esse comperietur.

69.

Respondeo, Deum mansurum, non tantum casu, quo deficeret possibilitas ignis, aut per eius veluti præcisionem à possibilitate, & impossibilitate, aut per conuersionem possibilitatis, qua præditus erat, in impossibilitatem: sed casu, quo coniungeretur in eo possibilitas cum impossibilitate. Tum autem foret Deus simul potens, & non potens absque vlla intrinseca repugnantia ex parte Dei, quippe qui tum eam coniunctionem potentia, & non potentia nequaquam exigeret essentialiter: ad modum, quo diximus supra capite 7. in solutione 4. argumenti fore ut tum Deus absque repugnantia intrinseca coëxisteret, & non coëxisteret possibilitati ignis. Hic autem ulterius addimus prædictum argumentum quantum aliter solui posse; nimirum dicendo haud esse necesse, ut Deus coëxisteret, & non coëxisteret possibilitati ignis, si huius deficeret possibilitas: posse enim huiusmodi possibilitatem aliter deficere, quam per coniunctionem eius cum opposita impossibilitate, videlicet altero ex duobus modis paulò supra propositis, & explicatis. Illud etiam adiciendum duximus priorem argumenti solutionem, in qua veriamur, ita intelligendam esse, ut repugnante igne per coniunctionem in eo possibilitatis cum impossibilitate, Deus esset simul potens, & non potens illum producere, non quoad perfectionem, & entitatem, sed tantum quoad denominationem extrinsecam potentis: in quo quid absurdum?

70.

Argumentantur octauò, hunc in modum: quoties vnum prædicatum formaliter est aliud, deficiente possibilitate vnius necesse est, ut impossibile sit & alterum: quoties igitur vnum prædicatum est eminenter aliud, non poterit non vnum deficere, & repugnare deficiente possibilitate alterius: at Deus per se ipsum essentialiter est eminenter homo vbi gratia: ergo deficiente hominis possibilitate, non poterit Deus non deficere, & repugnare: Deum autem essentialiter habere hoc, quod sit eminenter homo, patet: tum quia Deus secundum se, & essentialiter sumptus est omnis perfectio vel formaliter, eminenter: ergo alterutro modo est perfectio hominis: at non est formaliter perfectio hominis: ergo eminenter. Tum etiam, nemo potest dare, quod non habet: si ergo Deus per se ipsum essentialiter non habet saltem eminenter perfectionem hominis, quomodo eam dare potest? Atqui eam dat: ergo eam eminenter præhabet.

71.

Verum huic argumento ex dictis supra perquam facile respondeo, continentiam eminentialem, qua Deus dicitur esse eminenter homo, & quoduis aliud creatum, iuxta illud Ioan. 1. quod factum est, in ipso vita erat, duo importare,

nempe entitatem talis continentia, & denominationem talis continentia: Deum ergo secundum se, & essentialiter sumptum continere eminenter hominem, quoad huius continentia perfectionem, & entitatem, non verò quoad denominationem, quippe quæ ultra diuinam essentiam importat possibilitatem rerum creaturarum à Deo distinctam: ex eo autem solo, quod denominatio continentis eminenter hominem, aliamue rem creatam esset Deo essentialis, sequi posset, quod deficiente possibilitate hominis, aut alterius creatura, Deus deficeret, repugnaretque.

CAPVT IX.

Solutio caterorum argumentorum aduersus veriorum sententiam.

Nonò argumentantur aduersarij. Deus in sua essentia tanquam in obiecto prius cognito cognoscit creaturas omnes posibles: at cognitio vnus in alio importat alterius cum altero connexionem: ergo diuina essentia connectitur cum creaturis possibilibus, ad easque proinde transcendentaliter refertur. Maior est Thomistarum omnium, aliorumque plurium, quos refert, & sequitur Falsus 1. par. tom. 1. q. 14. art. 5. dubit. 1. ac inde probatur, quod nisi Deus in sua essentia, ut in obiecto representato cognosceret omnes creaturas posibles, vix aut ne vix quidem intelligi posset, quo pacto eam posset comprehendere: at quod eam possit comprehendere, imò de facto comprehendat, est certo certius. Tum etiam Deus cognoscit creaturas omnes posibles: at non in se ipsis: ergo in essentia sua prius cognita: quod non in se ipsis, liquet: id enim esset, aliquid creatum, & extra Deum esse obiectum formale diuinæ, & increatæ scientiæ; non citra huius maximam imperfectionem.

72.

Pro solutione argumenti notandum est, duplex esse medium, in quo aliud cognosci possit, seu quod in alterius notitiam manuducat: Videlicet positium, & negatium: medium positium est, quod cum alio de se connectitur, ac proinde in illius cognitionem ducere potest, quantum est ex se, quemcunque intellectum, tamen si lumine aliquo inferiori præditum: medium vero negatium est, quod cum alio de se non connectitur, ac proinde in eius cognitionem quemcunque intellectum ducere nequit; non tamen repugnat coniungi cum intellectu eius altitudinis, & luminis adeò perfecti, ut non possit illud cognoscere, non cognito alio, cum quo non connectitur, à quo tamen extrinsecus afficitur, & denominatur. Huiusmodi ergo medium negatium, in quo aliud cognosci possit, non repugnare, & in diuinam essentiam comparatione creaturarum possibilem, à quibus de se absoluta est, conuenire, facile suadet: quoniam perfectio est cognitio rei, quæ eam non solum quoad denominationes intrinsecas, & essentielles, verum etiam quoad extrinsecas, & accidentales dignoscit: igitur essentia diuina imperfectè cognita foret ab intellectu diuino, si eum lateret quoad denominationem absolute potentis producere creaturas, quæ à possibilitate ipsarum creaturarum in eum proficiuntur,

73.

proficiscitur, aut quoad denominationem oppositam, si per impossibile daretur: at Deo repugnat imperfecta cognitio suae essentiae, repugnat igitur ei cognoscere suam essentiam, non cognitis hoc ipso creaturis, à quibus extrinsecus afficitur, & absolute potens denominatur, aut non cognita earum repugnantia, à qua non potens denominatur.

74. Dices primò: pro priori signo rationis, quo essentia diuina anteuerit possibilitatem rerum, iuxta dicta superius cap. 1. & 2. Deus agnoscit comprehensivè, & perfectissime suam essentiam, cum in tali cognitione essentiae essentia ipsa consistat, vt fert communior Theologorum opinio, quae modò, gratia saltem disputandi, permittenda est: at pro illo priori non cognoscitur, possibilitas creaturarum, utpote quae nondum est: ad summam ergo perfectionem cognitionis, qua diuina essentia cognoscitur, opus non est, vt quoad repugnantiam, aut non repugnantiam creaturarum cognoscatur, esto ab iis extrinsecus afficiatur, & denominetur. Respondeo, cognitionem essentialem, quae Deus se ipsum, suamque essentiam cognoscit, perfectissimam esse: quia nimirum pro illo signo priori de ea cognoscit, quidquid de ipsa cognoscibile est, & postulat, vt pro secundo signo, tertioque cognoscatur, quidquid de ea tum cognosci potest: quod si in posterioribus signis non cognosceret Deus essentiam suam quoad denominationes extrinsecas, & accidentarias, quae tunc intelliguntur, sanè essentialis cognitio pro primo illo signo imperfecta foret, eo quod non postuleret cognitionem denominationum, quae pro posterioribus signis adueniunt, possuntque cognosci. Quà in re cognitio Dei de se ipso cognitionem Angeli de se longe antecellit: siquidem cognitio Angeli, esto cognoscat de Angelo ea, ad quae essentialiter refertur, ob suam tamen imperfectionem minime postulat, vt pro posteriori cognoscatur quoad ea, ad quae accidentaliter, & extrinsecè refertur. Adde, quod non improbabile sit, possibilitatem creaturarum esse quodammodo à se, ac proinde concomitari diuinam essentiam, darique in eodem priori signo, quo datur illa: ita autem si se res habet, sanè cognitio diuina cognoscens suam essentiam, & pro eodem signo cognosceret possibilitatem creaturarum; praeterim si & ipsam, necnon etiam essentiam praesupponat ordine signorum naturae, siue rationis.

75. Dices secundò: essentia diuina perfectissime cognita non magis postulat, vt pro posteriori datur, & cognoscatur possibilitas rerum, quam earum impossibilitas: igitur non est medium ad cognoscendam possibilitatem determinatè sumptam, sed ad summum ad possibilitatem, aut impossibilitatem cognoscendam. Respondeo distincto consequenti: non est medium ad cognoscendam possibilitatem determinatè sumptam in hoc euentu, quo datur, seu ex suppositione quod datur, nego consequentiam: in alio euentu, aliave suppositione concedo consequentiam. Itaque ex his duobus, videlicet perfectissima cognitione essentiae, & ipsa possibilitate rerum necessariò sequitur in Deo cognitio, qua possibilitatem, & essentiam ab ea extrinsecè denominatam cognoscit; quae si non sequeretur, duplici titulo Deus imperfectioni subiaceret: nimirum quia possibilitatem, quae in se datur, &

cognoscibilis est, non cognosceret; & quia essentiam diuinam cognitam non cognosceret quoad denominationes omnes extrinsecas, & accidentales, penes quas cognoscibilis est: neque vero ad hoc, vt diuina essentia perfectissime cognita sit medium ad creaturas posibles cognoscendas, opus est, vt ex ea sola sic cognita sequatur cognitio creaturarum possibilem: cum medium syllogisticum, quod strictissime medium est, se solo conclusionem non inferat, sed ulterius requirat extrema, cum quibus in praemissis copuletur.

Confirmatur primò argumentum: quia potentia cognoscitiua eius imperfectionis esse potest, vt cognito obiecto, ea, quibus essentialiter connectitur, non cognoscat, neque possit: vt cernere est in sensibus brutorum, quos Deus latet; cum tamen ad eum obiecta omnia sensuum causalem habitudinem dicant; & in intellectu solo lumine naturali illustrato, qui cognito obiecto naturali cognoscere nequit supernaturalia, cum quibus connectitur: igitur è contrario potest intellectus aliquis eius altitudinis, & perfectionis esse, vt cognito obiecto nequeat non cognoscere omnia, quae extrinsecus, & accidentario, & absque connexionione reali ei conueniant: ac proinde id de intellectu diuino comparatione essentiae dici potest, & debet: igitur essentia diuina erit medium negatiuum ad creaturas posibles cognoscendas: medium, quia ea cognita nequit à Deo non cognosci possibilitas rerum, si detur: negatiuum, quia connexa non est cum possibilitate rerum, neque ad eam cognoscendam omnis intellectui deferuire potest. Confirmatur secundò: quia si quis cognosceret essentiam creatam non cognitis determinatè proprietatibus, & accidentibus, quae ei inexistunt, sanè illam imperfectè cognosceret: nam ad perfectam, & absolutam rei notitiam non solum quid, verum etiam qualis sit res cognosci oportet: igitur nequit Deus essentiam creatam cognoscere; quin eo ipso collectionem proprietatum, & accidentium eius cognoscat: & tamen essentia cum existentia horum accidentium, & proprietatum determinatè sumptarum saepe numero non connectitur: igitur non requiritur connexio, vt aliquid medium sit ad alterius notitiam comparandam: ac proinde diuina essentia medium esse poterit ad cognoscendas creaturas posibles; à quibus transcendentaliter absoluitur.

Atque ex his respondendum est ad nonum argumentum, in quo versamur, ac dicendum quidquid sit de eius maiori, quae quidem disputandi gratia potest permitti, illius certe minorem esse falsam, & negandam, si vniuersaliter sumatur, & contra minoris contradictoriam esse veram, nempe sine connexionione vnum esse posse medium ad aliud cognoscendum; medium utique sin minus positium, saltem negatiuum: vt iterum, iterumque manet exploratum. Dixi, permittendam esse maiorem argumenti: quia sunt, qui illud cum P. Vasquez omninò negent, in eaque sententia sint, vt putent, creaturas posibles non cognosci à Deo in essentia sua, vt in obiecto prius cognito: nec id obesse, quominus cognitio essentiae sit in illo verissime comprehensiuu: cum ad hoc satis videatur, quod summa claritate cognoscat quidquid est formaliter in illa: & in super petat, subsequi ad se aliam cognitionem

terminatam ad omnia, quæ sunt extra illam: ita ut ea sit veluti species quædam eminentialis ad reliquorum noticiam: nec non etiam absurditate omni vacare, quod creaturæ possibiles sint obiectum formale, non motuum, aut Physicè causans, sed tantum terminatum respectu diuinæ scientiæ: sed de his alibi: nec enim huic loco conueniunt.

78.

Argumentantur decimo aduersarij, & præcedens confirmant argumentum. Beati vident in Deo creaturas possibiles: inter has ergo, & illas datur connexio, & relatio transcendentalis, qua de agimus. Antecedens est S. Gregorij 4. dialog. cap. 33. ibi: *Quia illic omnes communi claritate Deum conspiciunt: quid est; quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt.* Eodem modo videntur loqui Bernard. August. & Conc. Senonense apud P. Vasquez tom. 1. in p. disp. 5. 3. apud quem etiam Durandus, Bassolis, & Gotofredus tuerentur, non solum aliquas creaturas possibiles, ut volunt communiter Thomistæ, sed omnes omnino in Deo à Beatis videri. Respondendum tamen est, sicut ad præsens argumentum, creaturas possibiles videri à Beatis in Deo tanquam in medio, sin minus positiuo, saltem negatiuo: idque, & non aliud velle Sanctos Patres: quod autem huiusmodi mediij ratio conueniat Deo respectu Beatorum, inde est, quia perfectio luminis gloriæ tanta, talisque, ut non sinat ab iis Deum videri, quin per eandem visionem simul cognoscantur plures denominationes extrinsecæ ei conuenientes, esto cum iis nullam habeat connexionem essentialiter: atque hoc est, lumen illud esse specialem quandam, ac supernaturalem participationem diuini, atque increati luminis, necnon etiam visionem beatificam, & creatam similem participationem, imitationemue visionis increate, qua se Deus intuetur. Et quidem hæc perfectio luminis, & visionis facit, ut Beati videant in Deo creaturas possibiles titulo non solum potentia, quam eas producendi habet, sed etiam denominationum similes, inæqualis, Domini, & aliarum similium, cum quibus diuina essentia non habet connexionem.

79.

Præterire tamen non possum Patrem Vasquez, Alarcon, Becanum, Albertinum, necnon Scotum, Bonauenturam, Maiorem, Marsilium, Almainum, Gabrielem, & Okamum, quos refert, & sequitur Ouiedo controuers. 10. Metaphys. punct. 7. negare antecedens superioris argumenti, ac sentire nullam creaturam possibilem videri à Beatis in Deo ut obiecto prius cognito, ac viso: sed tantum ut in reuelante: nimirum quia visioni beatificæ debentur speciales reuelationes, quibus Beati alia cognitione distincta à beatifica cognoscunt quæ sunt extra Deum, plura quidem, aut pauciora pro excellentia maiore, aut minore visionis qua beantur. Quæ doctrina, & solutio: an possit sustineri, est examinandum alibi.

80.

Vndecimo arguunt: Deus committitur essentialiter cum repugnantia aliqua: vel ergo ab ea dependet, vel secus: si primum: quid refert, eum quodam modo dependere à possibilitate creaturarum: si secundum: ergo etiam connecti poterit essentialiter cum possibilitate, seu non repugnantia creaturarum, quin ab ea dependeat: adeoque corrumpet prorsus nostræ sententiæ præcipuum fundamentum. Antecedens vero suadet, quia Deus connectitur essentialiter cum repu-

gnantia mendacij inse, illaque deficiente deesset: deesset enim, si mentiretur: ergo & si deficeret repugnantia mendacij sui. Respondeo, hoc quod est Deo repugnare mentiri nihil aliud esse, quam Deum & mendacium, quorum naturæ non conueniunt inuicem, nec possunt: sicut repugnantia Petri v.g. ut sit lapis, nihil aliud est quam uterque: de quo latius in Metaphysica. Hoc posituro, Deum defecturum, si deficeret in eo repugnantia mentiendi, siue si mentiretur, non est, eum defecturum, si deficeret aliquid extrinsecum, & à se distinctum; id est mendacium: potius enim supponitur, eum mentiri, adeoque non deficere mendacium: ergo est, Deum defecturum, si deficeret ipse Deus, siue si deficeret repugnantia mendacij, qua ex parte ea constituitur per Deum ipsum, haud ergo est, Deum connecti cum aliquo à se distincto, sed tantum secum ipso: ex quo quid contra nostram sententiam? Quod si dicant aduersarij, ut eorum aliquid haud dubie dicturi sunt, iuxta eos Deum connecti cum possibilitate creaturarum, haud aliud esse, quam quod habeat connexionem se cum ipso: hoc quidem abunde reiectum est à nobis supra.

81.

Duodecimò argui potest aduersus nostram sententiam: cognitio essentialiter vera affirmans; Deum non esse est chimerica; & impossibilis: at eius impossibilitate, & repugnantia deficiente, siue, quod iuxta est, existente eius possibilitate Deus deficeret: ergo deficeret deficiente aliqua repugnantia, siue chimæra: adeoque & deficiente aliqua possibilitate: ad hanc ergo transcendentem refertur, & cum ea summè connectitur. Minor, in qua sola est difficultas, hunc in modum suadet: si esset possibilis ea cognitio essentialiter vera, non existeret Deus: ergo deficeret: consequentia est euidens: probatur antecedens, quia si esset possibilis illa cognitio, posset eius obiectum esse, sicut affirmatur per illam: ergo posset Deus non existere: in Deo enim suapte natura summè perfecto, & omnis imperfectionis incapaci idem est posse non esse, siue posse habere imperfectionem non existendi, aliamue quamuis, ac reuera non existere, nec dari ullatenus. Respondeo, bifariam intelligi posse, quod deficiat per impossibile repugnantia, & impossibilitas rei alicuius. Primo ita ut de repugnanti, & impossibili fiat possibilis: atque sic quidem deficiente impossibilitate cognitionis in argumento obiectæ deficeret Deus. Secundo ita ut rei non euadat ex impossibili, & repugnanti possibilis, & non repugnans, sed potius nec sit impossibilis, nec possibilis; repugnans, nec non repugnans, atque sic deficiente impossibilitate prædictæ cognitionis haudquaquam repugnaret Deus, ut intuenti constabit. Verum quidem est, hunc potestatiorem modum deficiendi esse chimericum, & contra illud principium, *quodlibet est, vel non est.* Sed quid hoc refert in præsentis questione? An non etiam prior modus deficiendi, qui assumitur in argumento obiecto, & qui valde familiaris est aduersariis, chimericus est, & planè contra illud principium, *impossibile est, idem simul esse, & non esse?* Aliæ quoque solutiones huiusmet argumenti colligi possunt ex dictis supra.

82.

Postremò argui solet contra nostram opinionem: quia longè perfectius est, & Deo magis consentaneum, quod ipsi essentialis sit ars, & potestas

tot

tot mirabilia patrandi, & quod sit fons absolutus, ex quo innumerabiles rerum species, & specierum individua dimanant, quàm quod sit potens operari ad extra extrinsecus, ac per denominationem ab ipsa rerum possibilitate profecta: Deus igitur perse ipsum essentialiter est potens operari ad extra, ac proinde ad creaturas transcendentaliter relatus, Quod inde confirmari potest: quoniam diuinæ naturæ fecunditatem, qua se ad intra communicat: & diffundit, magis commendat, quod Verbi, & S. Spiritus possibilitas sit, & cum ijs essentialiter connectatur, quam si foret potens generare, & spirare extrinsecus & denominatione sumpta à personis: quas spirat, & generat. Respondeo ad perfectionem infinitam Deo congruam, & necessariam opus non esse, ut denominatione illa artificis, & potentis operari ad extra mirabiliter, & supra quàm capere possit intellectus creatus, Deo essentialis sit (nam ex supra positis liquet, id Deo repugnare, ac proinde ad eius perfectionem attinere non posse) sed solum quod tota perfectio artis, & potestatis ad extra ei essentialis sit: quod nos ultro fateamur. Quod de fecunditate ad intra naturæ diuinæ essentiali adducitur, non videtur: quia ex ea minime sequitur dependentia, aliaque imperfectio in Deo: cum tamen potestas absoluta operandi ad extra nequeat esse Deo essentialis, quin multiplicem in eo imperfectiorem arguat.

CAPVT X.

Relationem causæ etiam creatæ ad suos effectus essentialem, seu transcendentalem non esse probabile est.

83.

IDque absolute tuentur plerique Philosophorum ac Theologorum extra scholam Thomisticam, ut testatur Fonseca 5. Metaphys. cap. 15. q. 1. sect. 4. Suadet autem in primis auctoritate Aristotelis, qui proxime citato lib. 5. Metaphys. cap. 15. relationem prædicamentalem trifariam diuidens, secundam eius speciem ait esse causæ in actu primo ad effectum ibi: *quædam ut calefactuum ad calefactibile, & scilicet ad se habile, & omnino actiuum ad passiuum.* Vnde sic argumentor ad homines: relatio prædicamentalis iuxta aduersarios in eo à transcendentali differt, quia non perinde ac transcendentalis fundamento essentialis est, sed potius accidentaria: & relatio causæ ad effectum, teste Aristotele, prædicamentalis est. Deinde absolute sic argumentor: relatio prædicamentalis perfectionem fundamento omnino intrinsecam minime importat: cum ergo relatio causæ ad effectum prædicamentalis sit, perfectionem fundamento omnino intrinsecam importare nequit: at eam importaret, si fundamento videlicet entitati causæ essentialis esset.

84.

Secundo, quia ideo actio, seu causalitas, per quam causa denominatur agens, est modus essentialiter connexus cum effectu, quia possunt dari simul, & semel causa, & effectus: quia causa denominatur agens effectum: & sublata hac indifferentia causæ ad agendum, & non agendum effectum, etiam existente effectu, nemo entitatem aliquam modalem essentialiter connexam cum existentia effectus admitteret, ut explora-

tissimum est. At nequeunt dari vllatenus entitas causæ creatæ, & possibilitas actionis, quia effectus aliquis à causa dimanare potest, quin entitas causæ absolute causa effectus sit, & denominetur, igitur non est adstruenda vlla connexio essentialis causæ cum effectu, ut entitas causæ causa effectus dici possit. Tertiò: quia Deus non per se ipsum essentialiter, sed per possibilitatem actionis à se distinctam effectus creati causa denominatur, vti supra probatum manet: cur ergo creatura à possibilitate actionis denominatione causæ mutare nequeat.

85.

Quarò: quia per eandem formam actualem, per quam causa denominatur agens in actu secundo, per eandem possibilem denominatur potens agere; at per actionem actualem, & exercitam causa denominatur agens in actu secundo: ergo per eandem actionem in esse possibili, siue per eius possibilitatem denominatur potens agere, cum autem causa cum potestate agendi coincidat, sanè per eiusmodi possibilitatem causa denominabitur. Maior: quæ sola probationis indiga est, hac ratione suadet: quia eo ipso, quod obiectum per cognitionem actualem cognitum denominatur, per cognitionem possibilem cognoscibile denominatur: idemque de denominationibus amabilis, & amari, sensibilis, & sensui, vniuersibilis & vniuersi dicendum est: ergo similiter in præfenti, &c. Quod autem aduersarij respondent, duplicem esse potestatem agendi: aliam physicam, & positivam, & hanc entitatem causæ essentialem esse: aliam logicam, & negatiuam in non repugnantia effectus, aut actionis sitam; & hanc entitatem causæ essentialem non esse; per priorem verò potestatem agendi, non verò per posteriorem constitui, & denominari causam quatenus talem: hoc, inquam, quod aduersarij respondent, omnino frivolum est: cur enim causa ab vna potestate potius, quàm ab alia denominatur? aut cur posterior perinde ac prior positiua non sit? cum non repugnantia negatio negationis, ac proinde affirmatio, siue positiua sit.

86.

Causam creatam suapte entitate esse potentem operari, ac proinde essentialiter, aut transcendentaliter ad suos effectus referri censent Suarez disp. 47. Metaphys. sect. 3. num. 11. Hurtado disp. 8. Physicor. §. 17. Oniedo controuers. 10. Metaphys. punc. 6. §. 1. conclus. 2. Arriaga, & communiter Recentiores. Primò, quia materia prima definitur ab Aristotele primum cuiusque subiectum, ex quo aliquid primo, & per se fit: ac materiam esse subiectum, &c. est esse causam materialem formæ substantialis: ergo materia definitur per hoc, quod sit causa materialis formæ substantialis: at definitio est intrinseca, & essentialis definito: ergo ratio causæ materialis materiæ intrinseca, & essentialis est, eique extrinsecus non adueniens. Eadem ratione probari potest, homini essentielle esse, quod causa sit: si quidem per animal rationale, hoc est, principium, causamque sentiendi, & discurrendi definitur. Secundo, quia materia prima est essentialiter ens incompletum, & aliter ac homo essentialiter est ens completum: at ens incompletum quatenus tale compleri postulat: ergo materia essentialiter postulat formam, per quam compleatur: ac proinde essentialiter cum possibilitate formæ connectitur, cum complementum impossibile postulari nequeat. Confirmatur, & declaratur: si deficient-